



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Præfatio ad benevolum Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

## CENSURA ORDINARII.

**H**ortulum istum Biblico-Moralem & Asceticum pulcherrimis SS. PP. & Ascetarum sententiis & Doctrinis, variisque conceptibus ceu flosculis innumeris refertum à plurimum Reverendo Religiosissimo ac Clarissimo P. Francisco Pappus à Trazberg &c. Ordinis S. Benedicti in antiquissimò & celeberrimò Monasterio Augiæ majoris Brigantinae Professo & quondam Priore dignissimò, eruditissimè compositum, non sine voluptate perlustravi, nihilque contra sanam Doctrinam aut bonos mores in eo reperi, sed potius tam ob amoenitatem limati ac tersi sermonis, quàm ob varietatem & multipliciter Doctrinarum Moralium atque conceptuum eundem dignissimum judico, ut typis excudatur. Ita censeo Constantiæ die 20. Octobris 1718.

Andreas Feurstein SS. Theolog. Doctor, Consil. Eccles. insig. colleg. Ecclesiæ ad S. Stephanum Parochus ac Canonicus Capitularis, Censor librorum Ordinar.

---

### Præfatio ad benevolum Lectorem.

**P**ost Controversias joco-serias ex toto serius alterâ vice tuum subeo conspectum benevole Lector, Hortulum tibi offerens, locò florum doctrinis Moralibus & Asceticis, si non excultum, saltem impletum. Finem operi præfixum defert Titulus, in quo hæc verba invenis legenda. *Opus, tum ad reformandos Christiani Lectoris mores, tum ad comparandam S. Scripturae compendiosam notitiam, tum ad Conciones morales pro secularibus, & Exhortationes Asceticas pro Religiosis ex tempore formandas destinatum, & triplici Indice instructum, in quo Doctrinae Morales & Asceticæ, in uno numero marginali plerumque brevius traditæ, in diversis autem numeris diversis quoque argumentis fusiùs discussæ sunt: ut sic dispositæ non solum serviant ad fusiorem de una materia lectionem, sed etiam ad integras Conciones & Exhortationes, ex tempore faciendas.*

De reliquo typographicorum errorum lolia, quæ in hoc Hortulo reperies: cum illa jam prælo firmiter radicata, eradicare non valuerim, saltem raptim notata, studui emendare, sperans futurum: ut pro innata tibi benevolentia compatiaris mihi.

FASCI-